

partem Oppiano et Aristoteli dici falso opinatur Bellonius, Hermolao Iulus, aliis *Mysticetus* dicitur. Longus est, colore albo, capite longo, angusta cauda, si Aeliano credimus. Aldrovandus<sup>i</sup> dodrantalem, rostro acuto, capite praelongo et plano, cauda angusta et tenui, toto corpore aspero, squammis experte, sed osseo corio tecto, proponit.

Fabulosum ne id, quod Rondeletius arbitratur, an ambiguum, quod \*Scaliger, natura talem dederit, an

amicitiae ascribendum sit, non disputo. *Amicitiae exempla sunt Baena, musculus, quando praegravi superciliorum pondere obrutis, ejus oculis, infestantia magna vada, praenatans demonstrat, oculorumque vice fungitur*, apud<sup>k</sup> Plinium legimus. Agnitum, ore velut anchoram a Baenis recipi, in faucibus dormire; hoc quiescente, illas non moveri, hoc gubernatore, destitutas, ad terram delabi et perire, Plutarchus<sup>l</sup> et<sup>m</sup> Claudianus, ut superius dictum, prodidere.

<sup>k</sup> Plin. H.N. l. 9. c. 62.

<sup>l</sup> Plutarch. l. 1. <sup>m</sup> Claudian. in Eutrop.

## ARTICVLVS V.

## De Serpente Marino.

TAB. IV. 5. 6.

TAB. V. 1.

<sup>a</sup> Plin. H.N. l. 32. c. 1.

<sup>b</sup> Aelian. H. A. l. 18. c. 28.

<sup>c</sup> Aristot. H. A. l. 2. c. 15.

<sup>d</sup> Aristot. H. A. l. 8. c. ult.

<sup>e</sup> Plin. H.N. l. 6. c. 23.

<sup>f</sup> Solinus in Polyhist.

<sup>g</sup> Arrian. in Periplo maris rubri.

<sup>h</sup> Virgil. l. 2. Aeneid.

<sup>i</sup> Arist. H.A. l. 2. c. 14. et l. 9. c. 37.

Serpens marinus, \*Plinio *Draco* *Smarinus*, Aeliano<sup>b</sup> *μύρος* et *Hydrus*, Aristoteli<sup>c</sup> *ὄφις θαλάσσιος* dicitur.

Notabilis ipsorum in quibusdam locis magnitudo. Ejus sunt in Africa, ut boves<sup>d</sup> insectentur, et triremes apprehensas evertant. Circa Norvegiam ducentorum pedum longi visi, tantas aliquando supra mare spinas, erigentes, ut navis per unam transire possit, si Olao Magno credimus. Conspicitur in sinu Codano quidam flavi coloris XL. pedum, innoxius, nisi irritaveris. Apud insulas<sup>e</sup> quasdam ante Persidem, vicenum cubitorum, terruere classem. Tales in<sup>f</sup> Carmaniae promontorium et Arabiam circa tres insulas e mari egrediuntur. Baraces sinus<sup>g</sup> navigantibus perniciosus, quod ad eum e pelago tendentibus praegrandes et nigri serpentes occurrant. Maximi cujusdam descriptionem et in Virgilio<sup>h</sup> invenies. Is de quo hoc loco, terrestri similis est, capite et corpore congrui<sup>i</sup> *ἀμαυρότερος* duntaxat, ore acutiore, si<sup>i</sup> Aristotelem sequimur. Si Salvianum, habet dorsum subrubrum; latera subflava, ventrem subalbidum. Rondeletius eum trium cubitorum facit, corpore fulvo, quam Anguilla rotundiore, colore quem et sceleron apud Aldro-

vandum exhibebat, capite congrui, oculis flavescentibus, ventre et rostro cinereis, maxilla superiore longiore. Dentes muraenae modo, sed rariores habere, addit: pinnulas ad branchias veluti Anguillae duas. A Castelleto ad<sup>k</sup> Aldrovandum missus, colore erat congrui, sed ad caeruleum inclinante. Ore intra rubido, dentibus acutissimis instructo, sub mento apophysis barbae modo propendebat, altera ad ani orificium.

*Maris* est incola: nec tamen *ἐν τοῖς σφόδρα βάθει*, seu profundissimis, <sup>l</sup> *gurgitibus* nascitur: Qui in aquis fluviatilibus reperiuntur, Hydri sunt et toto coelo ab istis differunt. Degit tamen aliquando et in terra, ut terrestris<sup>m</sup> quaedam species; toto fere die in mari vivit, somni causa in terram egreditur. Vehementior est congro, si *σφοδρότερον* ita placet vertere. Captus<sup>n</sup> atque immixtus in arenam, cavernam sibi rostro mira celeritate excavat.

Pugnare aliquando in Turcia tempore Bajazetis a solis ortu ad occasum cum terrestribus; Occisorum utrinque octo millia numerata sunt. Aquatici concessere victoriam.

Comedi quidem potest: sed propter similem cum terrestri formam rejicitur.

<sup>k</sup> Aldrov. de Piscib. l. 3. c. 24.

<sup>l</sup> Arist. H.A. l. 2. c. 14. ex Scal. edit. 17.

<sup>m</sup> Bellon. in observat.

<sup>n</sup> Plin. H.N. l. 9. c. 37.

## ARTICVLVS VI.

## De Congro et Ophidio Plinii.

TAB. IV. 7.

\* Rittersbuius ad l. 1.

Habient. Op-

pian.

\* Athen. Di-

pnos. l. 7.

Congri, qui Graecis *αγρώ*, quod est voro; *ἀπιδίσι*, <sup>\*</sup> *γὰρ τῶν πολυπόδων* *πλεκτάνων*, *κρίγγρος* et *γόγγρος* <sup>\*</sup> aliis *Gryllus*, quibusdam a corporis et colo-

ris similitudine, *Anguilla marina* dicitur, duo genera; Unum Album et pelagium, alterum Nigricans, quod haud recte vel littorale vel pelagium dixeris.